

M.R. JAMES

Canonici Alberici Codicium

[« Canon Alberic's Scrap-Book » e *Ghost Stories of an Antiquarian*, 1904, auct. M.R. James]

In latinum vertit Alexander Ricius

Oppidum Sancti Bertrandi Convenarum castellum est dilapidatum sub ipsis Montium Pyrenaeorum radicibus haud ita procul a Tolosa, propius vero Balneum Lixonense. Sedes fuit episcopalis ad Regni Eversionem usque cujus ecclesia cathedralis interdum a periegetis visitatur. Vere anni MDCCCLXXXIII Anglus quidam ad veternosum illum locum venit qui vix civitatis nomine dignari posset, ubi incolae pene mille versarentur. Eruditus erat Cantabrigiensis qui consulto Tolosâ venerat ad Sancti Bertrandi ecclesiam, amicis binis relictis in deversorio Tolosano qui minus ardentem rebus antiquis studebant at promiserant crastini diei mane ipsi convenire. Satis foret illis vel dimidia hora ecclesia visere ut tres contenti iter ad Auscos pergerent. Anglus autem noster die illa mane venerat atque in votis habebat codicillum annotationibus implere necnon aliquoties decem laminas photographicas usurpare ut quam accuratissime describeret charaxaretque ad ultimum angulum usque illius mirabilis ecclesiae quae in humili Convenarum colle eminet. Ut propositum fauste re faceret necesse erat ecclesiae virgarium per totum diem usurpare. Inde virgarium seu sacristanum (quem ita appellare malo, etsi minus apte) advocavit rudior matrona heraque deversorii ad Rubrum Petasum. Quem vero ubi venerat Anglus advertit inopinate dignum esse qui attentius observaretur. Non quidem figura praestabat homunculus iste rugosus aridusque, in eo enim similis fuerat centum aliorum ecclesiarum custodum in Gallia, sed aspectu mire furtivo quasi dejecto infestatoque. Jugiter fere retro spiciebat, tergum humerosque continuo nervis contractos habebat quasi verens ne hostis qualiscumque extemplo se arriperet. Anglus incertus erat utrum eum aestimaret quapiam hallucinatione defixum conscientiae remorsu, an ultra modum uxorialem maritum esse. In summa denique probabilius erat hanc fuisse causam, attamen istius tota species formidabiliorem persecutorem monebat quam et ter maleficam uxorem.

Utique Anglus ille (quem Dionysodunum vocemus) cito codicillo inscribendo photographemataque charaxando nimis occupatus fuit quam ut sacristanum nonnisi rare passimque adspiceret. Quotiesque vero eum conspiciebat, reperiebat eum prope adstantem, seu ad murum arte nisum seu in magnificorum stallorum quadam sede delitescentem. Quadere Dionysodunus gradatim irascebatur. Vicissim putabat se forsitan obstare quin vetulus pranderet, vel istum suspicari fore ut ipse Sancti Bernardi eburneam crossam vel pulvereum palea farctum crocodilum

super baptismatis fontem pendentem furatus aufugeret, quae ficta dubia ipsum torquere coeperunt.

Tandem ait: “Domum, quaeso, redi; facile solus operam perficiam. Sis, me intus clave conclude. Saltem heic horis binis opus erit ad notas scribendas, nonne refrigescas?”

“Di boni”, ait homunculus, cui monitum terrorem nefandum injecisse visum est, “ne perbrevis quidem talis res excogitari potest. Domnumne solum in ecclesiam relinquam ? Minime, minime vero ! Horis binis ternisve adesse mihi aequum est. Jentaculum sumpsi, neque admodum algeo, Domno gratias plurimas ago. ”

“Bene, mi homuncule, ” sibi mussitavit Dionysodunus, “te admonui, ipse consequentia patieris.”

Nondum expletis binis horis, stalla, immensum dilapidatumque organum, episcopi Johannis de Mauléone tribunal, vitreae textilesque reliquiae, vasa in thesauro posita omnia curiose planeque investigata erant. Sacristanus vero continenter Dionysoduno adhaerebat, interdum se abrupte vertens quasi compunctus ubi forte mirus quispiam sonitus istius aurem tundeat quales vasta vacuaque aedificia disturbare solent. Inusitati quidem interdum sonitus fuerant.

“Factum est”, ut mihi Dionysodunus retulit, “ita vivam, vocem audivi exilem atque metallicam quae in summa turri ridebat. Sacristanum meum extemplo curiose adspexi qui ad labias usque palluerat. “Iste, iste est... id est, nemo est, porta conclusa est.” Plura non dixit atque nos vicissim diuscule conspeximus.

Alius minor eventus Dionysodunum satis vexavit cum amplam imaginem obscurioremque consideraret quae post altare pendebat, unam scilicet e serie qua Sancti Bertrandi miracula illustrata erant. Picturae delineatio fere non interpretatur, sed infra scripta erat latine explicatio : “ Qualiter Sanctus Bertrandus hominem liberavit quem diabolus diu volebat strangulare.”

Quibus lectis Dionysodunus ad sacristanum se vertit subridens atque jocum quempiam ore facturus, sed animo admodum confusus est dum senem aspicit inflexis genibus imaginem spectantem quasi supplicem ultimo fervore precantem ; manus arte conjunctas habebat et lacrimas imbre effundebat per genas. Dionysodunus ut decet simulavit se id non animadvertisse at secum jugiter eandem quaestionem reputabat : Quomodo tam inepta tabula hominem tam penitus perturbet ? Idcirco sibi visus est aliquo modo causam intelligere mirandi istius aspectus qui per totum diem curiositatem suscitabat : homunculus profecto monomaniacus esset, at qualis esset ejus monomania ?

Mox hora fiebat quinta ; brevi exeunte die umbrae ecclesiam implere coeperunt cum mirandi sonitus – obtusi scilicet passus vocesque eminus loquentes quae per totum diem audita

erant – procul dubio propter deficiens lumen quod acriorem faciebat auditum, ut visum est, frequentiores fiebant atque instantiores.

Tunc primum sacristanus praebere se coepit properantem impatientemque. Levato animo suspiravit cum camera photographica codicillusque collocati sint auferendi atque festinanter manu Dionysoduno demonstravit ecclesiae portam occidentalem sub turri. Hora erat Angeli sonandi. Non semel tractatus est rigidus funis ac magna campana nomine Bertranda e summa turri eloqui coepit vocem librans super pinos ad imas valles per torrentes resonans solarumque collium incolas hortans ad commemorandam repetendamque angeli salutationem illi factam quam benedictam in mulieribus vocavit. Quo perfecto primum in die illa requies profunda visa est super castellum reponi atque Dionysodunus cum sacristano ecclesia exivit.

In limine stantes confabulati sunt.

“Domni, ut patet, animum detinebant veteres libri chorales in sacristia depositi.”

“Etiam, mehercle, ac te rogaturus eram utrum bibliotheca sit in hac civitate.”

“Non est, Domne, fieri potest ut olim fuisset, capitularis scilicet, sed nunc tam exiguum factum est oppidulum.” Tunc mira interfuit pausa in locutione, propter ejus dubitationem ut videbatur atque statim quasi praecipitans verbis processit : “Quod si Domnus veterum librorum est amator, mihi domi est aliquid quod forsitan animum detineat. Vix passibus centum distat.”

Extemplo flagravit Dionysoduni mens omnibus somniis diu fotis de inaestimabilibus manuscriptis in Franciae reconditis inventis. Quae vero somnia continuo dissipata sunt : haud dubie fuisset merum missale Plantini typis circum annum MDLXXX editum. Qui fieri posset ut locum tam prope Tolosam antiquarii jam pridem non scrutavissent ? At stultum esset non ire ; in perpetuum enim se exprobaturus foret quod ire recusavisset. In via recordabatur Dionysodunus sacristani subitanam firmitatem post mirandam dubitationem atque aliquantulum turpiter secum consultabat utrum dolose seduceretur ad latebram quampiam ubi pro divite Anglo habitus e medio tolleretur. Per machinationem igitur vel inscitam cum ductore loquens monuit se amicos duos expectare qui in crastino mane venturi essent. Admiratus autem est quod monitio haec sacristani anxietatem satis levare visa est qua opprimebatur.

“Optimum, inquit alacriter, optimum sane ! Domnus ab amicis binis comitatus iter faciet, illi jugiter aderunt. Juvat ita comitatu iter facere... nonnumquam...”

Quod novissimum verbum aliquid mente concipiens ipse addidisse visus est, idcirco renovatus est miselli homulli luctus.

Cito domum venerunt vicinis aliquanto ampliores lapidibusque constructam ; scutum super januam incisum habebat, scutum scilicet Alberici de Mauléone qui fuit, mihi referente

Dionysoduno, unus ex latere posteriorum Episcopi Johannis de Mauléone. Albericus ille Convenensis canonicus fuit ab anno MDCLXXX ad MDCCI. Aedium fenestrae superiores tabulis conclusae erant atque locus iste pariter ac reliquum oppidum vastatum aspectum praebebat.

Ad limen ubi venit, sacristanus aliquantisper moram fecit.

“Forsan, inquit, forsan Domno otium utique desit?”

“Immo otio abundo, ad crastinum usque negotium nullum mihi. Quid habeas inspiciamus.”

Tunc demum reclusa janua apparuit facies quae sacristano perquam juvenior erat, at aliquid ejusdem anxietatis praebebat. Anxietatis autem causam esse videbatur non propriam salutem, sed alterius cujuspian pungentem sollicitudinem. Patebat eam fuisse sacristani filiae facies; pulchrior mehercle puella erat, non obstante afflicto vultus aspectu. Ubi autem vidit patrem suum ab advena corpore robusto comitatum, os statim levamine micuit. Pater filiaque breviter interlocuti sunt, at Dionysodunus haec verba tantum a sacristano prolata intellexit : “In ecclesia ridebat iste” quibus respondit terror in puellae oculis.

Nec mora in domus exaedra sedebant quae conclave erat angustius altiusque ac pavimento structum, volaticis umbris plena ob ignem e ligno in magno foco crepitantem. Aliquid oratorii habebat locus propter crucifixum procerum a latere tectum usque fere tangentem ; figura naturae vividis coloribus depicta erat, crux vero nigra. Quem subter stabat arca vetustior solidiorque. Allatis lampade sellisque sacristanus ad arcam ivit unde, ut Dionysoduno visum est, tremula animi perturbatione magnum albo panno involutum librum produxit cum cruce rubra inscite in panno picta. Antequam solveretur involucrum jam Dionysoduni animum detinuit libri forma magnitudoque. “Major quam ut missale sit – secum mussitavit – neque formam habet antiphonarii, denique fieri potest ut aliqui boni eveniat...” Aperto autem libro continuo percepit Dionysodunus se aliquid ultra omnem expectationem invenisse. Ante ejus oculos jacebat amplus liber in-folio cujus ligatura exeunte saeculo septimo decimo forsán facta erat, cum Canonici Alberici de Mauléone armis aureis in utroque latere impressis. Liber centum quinquaginta folia chartacea circiter continebat quorum singulis fere agglutinata erat plagula e quovis manuscripto illuminato excerpta. Tantum collectarium numquam et effrenata vi imaginativa Dionysodunus excogitare potuerat. En tibi heic folia decem e quodam libro Creationis excerpta imaginibusque ornata non post annum DCC dipinctis. Inde series integra imaginum a Psalterio quodam in Anglia confecto, optimum quidem opus quale saeculum XIII prodere potuerat; quod vero facile superabant folia viginti latine litteris uncialibus inscripta quae ut statim singula vocabula heic illicque legens statim percepit procul dubio ex antiquissimo ignotoque tractatu patristico excerpta erant. Num fieri potest ut fragmentum sit exemplaris libri

Papiae et “De Domini Verbis”, quem relatum est adhuc exeunte saeculo XII Nemausi fuisse¹ ? Utcumque ipse jam consilium firmiter ceperat : librum illum scilicet secum Cantabrigiam reportare necesse erat etsi rem suam totam ex argentaria exhausta foret, Convenis mansurus donec nummos acceperit. Oculos levavit ad sacristanum ut ab ejus facie discerneret utrum in votis esse librum vendere. Ille vero pallidus labias movebat.

“Ad novissimam usque, sis, paginas evolve, Domne”, ait.

Itaque dominus professor paginas evolvere pergebat, ac folio quoque aperto novus thesaurus revelebatur donec ad librum finem chartas binas reppererit satis quam priores omnes recentioris aetatis, quibus ille animo conturbatus est. Putavit eas coetaneas fuisse improbi istius canonici Alberici qui nequam procul dubio Sancti Bertrandi librariam capitularem spoliaverat ut tanti pretii codicum sibi conficeret. In charta priore delineata erat accurata descriptio seu schema in qua omnis locipertus Ecclesiae Sancti Bernardi alam claustrumque meridianum agnosceret. Erant mira signa symbolorum planetariorum similia atque in imaginibus aliquot verba hebraice scripta. In claustrum boreo hesperio angulo crux aureo pigmento picta erat. Sub descriptione scriptae erant lineae hae latine:

Responsa 12^{mi} Dec. 1694. Interrogatum est: Inveniamne ? Responsum est : Invenies.

– Fiamne dives ? – Fies. – Vivamne invidendus ? – Vives. – Moriarne in lecto meo ? – Ita.

Optimum specimen thesaurorum venationis, quod memoriam revocat Domni Canonici Minoris Quatermani in libro et. *Prior Sancti Pauli Cathedralis*, secum putabat Dionysodunus cum folium evolvit. Quod vero tunc aspexit, ut ipse saepius mihi retulit, animum ejus magis commovit quam ut putaret se umquam imagine quavis perturbaturum iri. Etsi jam abolita est imago quam vidit ille, superest tamen photographema quod ipse teneo ac illius verba plene confirmat.

Tabula enim saepia depicta exeunte saeculo decimo septimo praebebat quod prima facie scaena biblica videbatur, nam aedium pars interior figuraeque delineatae semi-classicum illum stilum redolebant quem binis ante saeculis artifices dignum ducebant qui Biblia illustraret. A dextra parte rex quidam in solio sedebat gradibus duodecim eminente, suspensis aulaeis supra, utroque latere stantibus militibus – patebat illum fuisse regem Salomonem. Porrecto sceptro proclinatus sedebat, quasi imperans ; ipsius vultus tum odium cum horrorem exprimebat, attamen signum inerat dominii potestatisque. At perquam mirandior erat imaginis pars laeva. Heic nimirum inerat santicum quid.

¹ Nunc compertum habemus folia haec majus esse illius operis fragmentum, nisi ipsius exemplaris partem.

In pavimento ante thronum dispositi erant milites quatuor circum subsidentem figuram infra describendam. Quintus miles mortuus jacebat in pavimento, intorto collo oculisque e capite evulsis. Circumstantes vigiles quatuor regem suspiciebant, quorum vultus majorem etiam horrorem exprimebant. Immo videbatur solam eorum inveteratam regem erga fiduciam impedire quominus fugerent. Quem terrorem manifeste excitabat negotium in medio subsidens.

Spem omnem deponam verbis exprimere quae sentiat quisque figuram istam aspiciens. Memini quidem me olim istius imaginis photographema ostendisse morphologiae doctori, viro scilicet fere ultra normam communem vi imaginativa carenti. Reliquis illius vesperis horis omnino noluit se solum remanere atque postea mihi confessus est multis noctibus deinceps ausum non esse lucerna exstincta se somno dare. Conabor tamen figuram summatim describere.

Prima facie moles inculta capillorum nigrorum coactiliumque aspiciebatur at continuo patebat capillos corpus tegere formidulose macilentum, fere sceletum, cujus muscoli vero sicut funes ferrei discernebantur. Manus habebat fusce pallentes pariter ac corpus longis rudibusque pilis tectas cum taetris unguibus. Oculi istius ardenti luto depicti pupillas habebant aterrimas atque in Regem solio sedentem bestiali odio defigebantur. Tibi finge aucupatoriam quamdam araneam earum quales in America Australi versantur in humanam formam translatam intellectuque instructam humano paulo minore, ita tibi habebis notitiam vel obscuram horroris quem concitat ista odiosa effigies. Unam eandemque sententiam emittebant omnes quibus imaginem ostendi: Ex animali exemplo depictam esse eam.

Ut primum placata est repentini horroris commotio, Dionysodunus furtive ad hospites oculos adjecit. Sacristanus manus habebat in oculis compressas, filia vero oculos ad crucem in pariete fixam attolens ferventer rosarium recitabat.

Denique rogatum est : utrum liber venundaretur ? Eadem interfuit dubitatio, dein eadem praecipitatio quam prius perceperat, donec fauste responsum sit : « Si Domno placet... »

« Quanti poscis ? »

« Ducentos quinquaginta nummos accipiam. »

Obstupendam responsionem ! Aliquando et antiquarii conscientia moveri potest atque mollior erat Dionysoduni conscientia quam antiquarii cujusvis.

« Optime vir, » etiam etiamque repetivit, « liber iste multo pluris valet quam ducentis quinquaginta nummis, valde Hercule pluris. »

At responsio non mutabatur : « Solum ducentos quinquaginta nummos accipiam, nihil pluris. »

Fieri non poterat ut tanta occasio amitteretur. Pecunia soluta est, apocha conscripta, poculum vini pactionem confirmavit. Ipso facto sacristanus refici atque renovari visus est ; se

erexit, suspiciose circumspicere desivit, risit etiam, ridere dumtaxat conatus est. Dionysodunus ut rediret surrexit.

Sacristanus ait : « Dignanter sinat me Domnus ad deversorium ipsum comitari. »
« Benigne ! Vix passibus centum distat, viaque mihi plene usitata, insuper lucet luna. »

Ter quaterque urgente illo totiens recusavit.
« Id si ita est, me vocet Domnus si... si forte res ita eveniat ; cura ut mediam viam ambules, limites enim rudiores sunt. »
« Sane, sane, » ait Dionysodunus qui avebat solum praedam suam inspicere.

Sub brachio librum tenens faucibus exivit, ubi obviam sibi facta est filia quae visa est propria Minerva negotium gerendum habere, forsitan ut perinde ac Giezi [*II Reg 5-27*] ut aliquid lucri reciperet a peregrino cui pepercerat pater.

« En tibi crucifixus argenteus cum catenella collari. Dignare, sis, Domne, eam accipere ! »

Ut verum confiteretur, Dionysodunus talia satis fastidebant. Quanti puella posceret pro isto ?

« Nihil, nihil profecto ! Pergratum mihi fecerit Domnus si eum benigne accipiet. »

Haec aliaque plura dixit ea voce quae procul dubio animi sinceritatem indicabat, adeo ut gratia profuse relata Dionysodunus catenellam collo appendi passus sit. Revera visum est ipsum patri filiaeque beneficium quodpiam dedisse quod vix remunerare valerent. Cum librum secum ferens in viam profectus sit, ambo ad januam stantes illum euntem respiciebant, atque adhuc respicientes stabant cum novissime manu iis faustam noctem optaverit a deversorii ad Rubrem Petasum ostio.

Sumpta cena Dionysodunus se conclavi solus cum acquisito suo conclusit. Hera vero mira curiositate moveri visa est ubi ipse monuit se sacristanum visitavisse aque ipso librum veterem emisse. Insuper sibi visum est ipsam cum eodem dicto sacristano raptim in faucibus juxta cenatiunculam colloqui, novissimaeque verba audire « Petrum Bertrandumque in deversorio pernoctaturos fore ».

Interim vero insidiosa crescebat ei intus iniquitas ; fortasse corporis responsio post tam gratam inventam rem. Quaecumque causa fuisset, effectum erat quod persuasum haberet sibi retro adesse quemdam atque perquam securius foret tergo parieti niso sedere. Ea omnia autem parvi exsistebant prae magnificentia imaginum collectionis modo adeptae. Tum igitur, ut supra dictum, solus erat in conclavi Canonici Alberici thesauros recognoscens, dum jugiter novas illecebras ibi detegit.

« O benedictum Albericum Canonicum » ait Dionysodunus qui inveterato soliloquii habitui indulgebat, « ubinam gentium, miror, nunc jaceat ipse ? Velim edepol ut deversorii hera

risum alacriorem exerceat, eam audiens putes mortuum quemdam in domum illatum esse. Num dixisti amplius dimidium fumisugium fumandum esse ? Haud scio an recte moneas. Qualis, miror, sit crucifixus iste quo domicella tam instanter me donavit. Superioris saeculi rem, opinor. Immo probabilius. At molestius est eum collo suspensum habere, cum gravior sit. Insuper, puto, ejus patri per annos fuit ornatus; expedit ergo mehercle eum mundare antequam collocaverim.»

Ablatum crucifixum in mensam deposuit, cum forte animadvertit aliquid super rubra mappa jacens prope ad sinistrum suum cubitum. Immensa velocitate in mente micaverunt notiones de quo id esset.

Num calamitergium? Talia in domo non erant. Rattusne? Immo color atrior fuerat. Num crassa aranea? Dii prohibeant! Minime... Di boni! Manus, qualis manus in imagine ista depicta! Sequenti brevissimo temporis momento rem totam percepit: cutem pallidam fuscamque, nonnisi ossa nervosque tegentem horrifice fortes; rudes nigrosque pilos longiores quam ut e manu humana crescere possent; ungues ab extremis digitis abrupte deorsum curvatos, cinereosque corneosque sinuososque.

De sede subito surrexit cum letalis terror pectus invaserit. Figura cujus manus in mensam nitebatur pone sedem statura se erigebat, dextraque istius super caput torta imminebat. Amictus niger laceratusque corpus induebat sicut in imagine rudibus pilis contextum. Maxillam habebat brevem, ut ita dicam, perinde ac ferae; dentes e labiis nigris intuebantur; defuit nasus; totius istius visionis horribilissimam speciem oculi praebebant lutei atque feroces, quorum pupillae atrae exsistebant atque intensae, necnon odium exsultans sitisque vitae delendae ibi micans. Cujuspiam generis intelligentia inerat, humana quidem inferior, bestiali vero superior.

Tanta abominatio apud Dionysodunum simul corpore horrorem perluridum atque mente acerrimum fastidium suscitavit. Quid egit? Quid agere valuit? Postea non potuit pro certo verba recordari a se profusa, at novit se quid locutum esse, crucifixumque argenteum caeca manu apprensisse, percepisseque daemonem ad se moventem, denique se ululavisse vocem emittentem ferae atrociter dolentis.

Petrus Bertrandusque, ii bini parvo ac robusto corpore famuli in conclave irruentes nihil viderunt atque senserunt aliquid inter se labens quod eos reppulit Dionysodunumque collapsum invenerunt. Cum illo vigiles pernoctaverunt, donec illius bini socii crastino mane hora IX ad sancti Bernardi oppidum venerint. Ipse autem etsi commotus adhuc trepidusque fere compos sui reffectus rem iis narravit, cui non crediderunt prius quam, ostensa imagine, cum sacristano colloqui essent.

Prima fere luce homuncio ad deversorium venerat per quampiam speciem atque summa animi intentione a caupona relata auscultaverat, quae vix miratus est. « Iste est, iste est demum !

Ipse istum vidi » solum monuit ; rogatus tantum unum concessit : « Istum bis aspexi, millies autem sensi. » De libri origine nihil fassus est neque clare retulit quae ipse passus esset. « Mox dormiam atque dulcis mihi erit somnus. Quid me turbetis ? » ait.²

In perpetuum nos latebit quae quantaque ille vel Canonicus Albericus a Mauléone passus sit. In aversa fatali imagine nonnullae lineae inscriptae erant quae forsitan aliquomodo rem illustrarent :

Contradictio Salomonis cum demonio nocturno. Albericus de Mauléone delineavit. V. Deus in adiutorium. Ps. Qui habitat.

Sancte Bertrande, demoniorum effugator, intercede pro me miserrimo.

Primum uidi nocte 12(mi) Dec. 1694 :

uidebo mox ultimum. Peccavi et passus sum, plura adhuc passurus.

Dec. 29, 1701.

In Gallia Christiana refertum est Canonicum die 31 Decembris MDCCI e vita decessisse “*in lectulo subitae emboliae causa*”. Tam accurata rarius reperiuntur in Sammarthorum magno opere.

Equidem numquam plene perspexi quid Dionysodunus censeret de iis quae heic narraui. Forte olim mihi locum hunc ex *Ecclesiastico* citavit : « *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt et in furore suo confirmaverunt tormenta sua* » (XXXIX, 33), atque alibi « *Isaias demum vir prudentissimus fuit, nonne enim aliquid monuit de bestiis requiescentibus in Babylonis ruinis ?* (XIII, 21) Talia autem nunc nobis satis aliena exsistunt. »

Aliud quid mihi confessus est ipse mirandum, quod tamen probavi. Superiore anno Convenas iveramus ad Canonici sepulcrum visendum. Magnum scilicet marmoreum monumentum cum Canonici imagine amplo capillamento subtaneoque induti, cujus doctrinam infra incisi laudabant sciti versus. Dionysodunum aspexi seorsum cum Sancti Bertrandi vicario breviter loquentem. Cum raeda vecti abiremus mihi dixit : « Spero male non egisse : novisti me Presbyterianum sectatorem esse, sed, hem, puto mox Missam celebraturam canticaque funeralia cantura iri in Alberici a Mauléone requiem. » Aliquid vero Calidonensis nationis ejus redoluit conclusio: « Omnino nesciebam haec tanti pretii fore. »

² Ejusdem anni aestate e vita decessit. Filia nupta in Sancti Papuli oppido se collocavit, neque umquam intelligere potuit paternae ‘infatuationis’ causas.